

Zeitschrift: Candollea : journal international de botanique systématique = international journal of systematic botany
Herausgeber: Conservatoire et Jardin botaniques de la Ville de Genève
Band: 22 (1967)
Heft: 1

Artikel: Emendationes laureae imprimis de Nectandra
Autor: Bernandi, Luciano
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-880388>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 08.02.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Emendationes laureae imprimis de *Nectandra*

Auctore

LUCIANO BERNARDI

felsineo, Conservatorii Genavensis

RÉSUMÉ.

L'auteur donne un abrégé de la situation actuelle de la systématique des Lauracées, surtout américaines, en considérant l'importance taxonomique des travaux de Carl Mez.

L'identité du *Nectandra sanguinea* Roland. ex Rottb. est enfin établie d'après l'échantillon type qui se trouve à Stockholm (SBT): cette espèce, type du genre, était connue jusqu'à maintenant sous le nom de *Nectandra guianensis* Meissn. *Ocotea bijuga* (Rottb.) Bernardi est le nom correct pour *Ocotea Neesiana* (Miq.) Kosterm. (= *Ocotea fallax* (Miq.) Mez).

La typification de *Nectandra purpurea* (Ruiz et Pav.) Mez est établie: cette espèce reçoit en synonymie, parmi d'autres, le *Nectandra latifolia* (H.B.K.) Mez.

Le *Laurus punctata* Ruiz et Pavon, espèce mal connue, considérée avec doute comme *Nectandra punctata* (Ruiz et Pav.) Klotzsch emend. Mez, appartient effectivement à ce genre et reçoit en synonymie le *Nectandra japurensis* Nees.

On établit l'interprétation correcte de *Nectandra longifolia* (Ruiz et Pav.) Nees; l'importance de cette espèce (qui reçoit en synonymie le *Nectandra Mathewsii* Meissn. non Mez et le *Nectandra Macbridei* O. C. Schmidt), comme Ruiz et Pavon l'ont déjà observé, est très grande pour la morphologie florale: les glandes qui se trouvent généralement à la base des étamines internes sont ici déplacées vers la base des étamines externes.

Cette espèce donc, avec le *Nectandra Trianae* Mez et le *Nectandra intermedia* Mez, établit une liaison entre le genre *Nectandra* et le genre *Pleurothyrium* (le cas de *Nectandra glandulosa* Lundell étant le cas limite).

Introductio

De tota familia *Lauracearum* scripsit nuper clarus Kostermans, magni pretii opuscula nonnulla praebens ubi historia clare offertur *Laurorum*; diligenter dominilla Carolina K. Allen species novas ex collectionibus erebris americanis praecipue ab illustri Bassett Maguire et sodalibus ejus lectis hodie diurne profert.

Domina Laura de Vattimo, brasiliensis, species hujus immanis nationis perfecte noscit et species novas frequenter offert. Igitur quartus (an innoxius vel superfluus?)

adsum, *Lauraceis* americanis studiosus, hic nonnullas emendationes maxime de genere *Nectandrae* praestans, reor utiles, spero claras, quamquam species veteres saepius caliginibus vel tenebris potius quam luce spissis obteguntur.

Audeo praemittere tamen principia quae me auxiliant, vel quibus utor per opusculum quod nunc incipio.

1. Inter crebros phytographos qui de *Lauris* scripserunt (cf. Kostermans, Journ. Scient. Research Indonesia. 1952, passim) optimum, lucidissimum Carolus Mez teneo, genera, subgenera et impliciter sectiones et series manu felicissima adumbrantem; opera ejus maximi pretii, «Lauraceae Americanae» (1889) quasi probatio a me consideratur.

Cum ipso ergo nunc consentio limina dimensionesque generum, id est: *Ocotea*, *Nectandra*, *Phoebe*, *Pleurothyrium*, quae genera servanda sunt ut Carolus Mez perfecit — speciebus postea descriptis, si validis, locupleta.

Quia, inquiri, si *Nectandram* in *Ocoteam* — ut clarus Kostermans suadet — mergimus, quomodo *Phoebes* genus atque *Machili* ex Asia, utrumque *Ocoteae* simillimum et puto multo proprius quam est *Nectandrae* genus, separari liceat?

Atque si *Phoebe* et *Machilus* cum *Ocotea* a nobis confunduntur, quomodo *Persea* separari ea poterimus? Staminodiorum, cupularumque causa? Sed antherarum formam, igitur staminum majoris pretii ducendam esse quam staminodiorum censeo; *Ocotea* — sensu Caroli Mez — fere omnes formas cupularum nobis praebet.

Pleurothyrium, denique patenter similis — mea sententia — *Nectandrae* videtur quam *Ocoteae*, at facile distinguendum, ut optime dominilla Carolina Allen (1966) adseverat.

Tamen, de liminibus historum generum reor diebus venturis diutius, in revisione generis *Nectandrae* et *Ocoteae* disceptare, Deo juvante, tempore propitio, mente lucida. Sententia generum Meziana majoris pretii nobis ducenda est, cum ipse Benthamii et Hookeri opinionem (*Genera Plantarum* 3 : 146-165. 1880) secutus sit; uterque britannicorum auctorum, quasi aquilae supra passerculos, rarissime quidem erraverunt. At, ut hic constat, nec raro Mez species nimis parvulas sive superfluas scripsit; praeterea antiquas verbi gratia species praecipue Ruizianas et Pavonianas confudit, minima ejusdem culpa vero, quia uterque hispanicorum botanicorum saepissime sub eodem nomine specimina valde dissimilia distribuit: de hoc infra (ad exemplum, vide *Nectandram purpuream*) longius exponitur.

2. C. F. Meissner, contra, *Lauraceas* in Prodroso Candolleano et in Flora Brasiliensi peculiari modo, at non exemplari, omnino speciatim descripsit nullo flore inspecto vel adumbrato, tantum de ramulis, foliis et saepe sed non semper de fructibus loquens; igitur genera ejus, et praecipue species ab eodem in generibus digestas, maxima cum prudentia inspicienda sunt. Carolus Mez, perspicissimus, crebros confusissimos conceptus Meissnerianos in lucem protulit.

3. Christianus Godofredus Nees ab Esenbeck, praecipue suo «Systema Laurinarum» (1836) magnopere pro *Lauraceis* gessit, descriptionibus productis, acutis argutisque, latinitate optima ornatis, partibus florum oculo lynceo offertis; sed nimis nomenclaturam neglexit, et errores nonnullos in hanc familiam immisit maxime pro speciebus amplae distributionis (e.g.: *Nectandra sanguinea* sensu ejusdem,

vide infra) et maximi pretii ad genera; heu saepe errores Neesiani usque hodie persisterunt, quia, reor, Mez sententias hujus auctoris saepe admisit et fidem eodem commisit.

4. Nees, Meissner omnes *Lauraceas* ab illis notas conati sunt speciatim describere; Mez, modo americanas; post hunc optimum Carolum, tantum descriptiones specierum novarum, vel expositiones *Lauracearum* prout floris nonnullarum nationum vel regionum americanarum insecutae sunt.

Quaedam species ab H. H. Rusby descriptae maxime cavendae sint reor, quia auctor ille inaccuratissime taxa nova fere omnia supervacanea protulit. O. C. Schmidt sat numerosas species ex novo et scrupulose descripsit; at multae ab eodem adumbratae ex continenti americano superfluae mihi videntur; antillanae tamen pleraeque validae conspiciuntur. Deplorandum opus Schmidtii phalangium specierum falsarum augens magis est, si animadvertas histum auctorem Berolinensi Museo addictum esse, id est, typis et speciminibus ab clarissimo Mezio adumbratis et determinatis uti quotidie potuisset.

5. Nuper et hodie species numerosae novae — ut jam pridie scripsi — a dominis C. K. Allen et Laura de Vattimo ex Americis ad familiam pro ut generibus in America vigentibus adumbrantur; utraque earum auctorum valde diligenter et scrupulose species saepe cum iconibus producunt; tamen cogito nec semper typis specierum veterum conspectis, quia pleraeque specimina typica servantur in Europae herbariis, non Americae; igitur, et abest ab his verbis contumelia, nonnullae species earum auctorum denique supervacaneae partim fiant.

6. Hic, et cras in revisionibus quas editurum spero, species consideratur ampla, a formis discretis etsi similibus constituta, solida, a me dicatur quasi tetragona, id est plurimis characteribus ab alia specie discrepans, minime uno misello separata! Sic consideratae, species hujus familiae venustae et apud universos botanicos antiquissimae, e tempore formidolose praeterito terras calidiores praecipue incolentes, constituunt, vel fiunt sat congruae, et sic distributio earumdem clarior — mea sententia — efficitur; quippe, pulvisculus specierum nimis parvularum, quandoque servatarum « pro bono pacis » nec pro bono veritatis sive scientiae, nulla utilitate est et adjuvat generum cognitionem, contra solem obumbrat.

*De plurimis vicissitudinibus et adversitatibus Nectandrae sanguineae,
speciei typicae*

Nectandra, genus totum, quidem obscuro ortu affecta mihi videtur; Daniel Rolander, summi Linnaei alumnus, iter surinamense egit annis 1755-1756. Rursus Scandinaviae cum rerum naturalium collectionibus, Rolander ut constat morbo affectus operam perseverantim ne praestavit vero et sat obscure vixit.

Opus maximum ab eodem relictum haud dubie Diarium surinamicum, quod fere omnino ineditum nunc custoditur in bibliotheca Instituti botanici Hafniae. Pars maxima exsiccatarum Rolanderi tamen servatur Holmiae in Herbario Bergiano.

Ex Diario surinamico, professor Chr. Fr. Rottböll, Hafniae, speciminibus consultis, extraxit nonnulla genera et species a Rolandero nuper descripta, ediditque opusculum misellum. *Nectandrae* genus ergo duabus speciebus constitutum sic in lucem prolatum est.

Rottböll descriptionem quam Rolander egerat fere eisdem verbis quidem miserabiliter ineptam rursus consignavit, atque confusionem vel parum diligentiam addidit.

Rolander, ut constat in codice suo, pagina 307, enim genus descripsit at speciem *Nectandram foetidam* plane, haud dubie indicavit sic ut speciem hujus generis pristinam, quam pro nobis typicam salutanda esset; tamen Rottböll *Nectandram foetidam*, specimine fortasse amisso, neglexit, tantum nomen memoravit in « Fragmentum materiae medicae et oeconomicae surinamensis » (vide: Descr. Pl. Surinam. Rar. ed. 2 : 17; tantum editionis secundae Genavae utor, Hafniae et Lipsiae 1798) verbis sequentibus ex Rolandero resumtis : « Nectandrae Foetidae fructum, olidum licet et nauseosum, amant Romphasti, eo valentes et pinguescentes. Hinc in locis, ubi arbor haec frequens provenit, Romphasti quoque vulgares sunt. » Hoc nomen clarus Kostermans, semper lynceus, tamen praetermisit in Bibliographia Lauracearum, patientiae monumento !

Sed mihi liceat hic verba Rolanderi ex codice accuratius transcribere, quia — reor — caliginem dispellere de *Nectandrae* ortu denique necesse est.

« Septembris 16 [1755], nox clarissima; dies clara cum nubibus sparsis; circa meridiem tonitru et imber — Therm. grad. 32 supra punct. congelationis.

» In duris Capoericae sylvis et alibi passim inter alias plantas arborem, floribus albis conspicuam, videre contigit, cui stamina et pistillum deesse videbantur; cum vero hae partes floribus singulis maxime essentielles sint, plus simplici vice eas quaerere operae pretium duxi.

» Tandem hodie, oculo armato floris partes denuo conspiciendo, stamina detegere contingeat.

» Ipsius Nectandrii lobis seu corpusculis immersa deprehendi. Rudimentum pistilli in centro floris obsoletum videbatur, quod tamen postmodum excrescere et in fructum abire observavi; adeoque sunt flores hermaphroditi, quos tot vicibus antea examinatos, sexu utroque carere existimaveram, nisi hoc statuendo piaculum in rem herbariam simul committi novissem.

» Calyx erat monophyllus, sexfidus, planus, coloratus, persistens. Corolla nulla.

» Nectarium constituunt corpuscula novem, brevia, crassa, truncata; sex eorum calyci inserta, tria interiora receptaculo affixa. Stamina quatuor singulis laciniis Nectarii, a parte interiore, inserta atque immersa, exerta, brevissima; adeoque quot lacinae Nectarii totidem flores masculi quorum stamina simul sumta [sic ! lege: sumpta] triginta sex numeravi. Germen rotundatum; stigma obsoletum, sphacelatum. Drupa obovata seu turbinata, truncata, calyce affixa. Nux ovata. Nomen arboris ab insertione staminum in laciniis Nectarii commode derivari putabam, adeoque Nectandra dicta est, et quidem haec species Nectandra foetida, quia folia, lignum, fructus ex tota planta nauseoso-olidissima est, ut admota naribus lapidem suillum intense spiret. Lignum albidum durum et fragile, nullius, quantum sciam, usus est; forte halitus nauseosus, foetidus, inutile reddidit. Fructu, aequae licet olido et fastidioso, victitant tamen Ramphasti; eo pinguescunt et valent; hinc ubi haec arbor frequens



FIG. 1. — *Nectandra foetida* Roland. mss. (ex icone inedita Musei Botanici Hafniae).

provenit, Ramphasti quoque vulgares visuntur qui sonitu rauco-sonante Aracari sylvas resonare faciunt. »

Haec *Nectandra foetida* non inventa a me est inter relicta Rolanderi specimina in Herbario Bergiano; at inter icones operis inediti quod Rottböll de plantis surinamicis sperabat producturum esse, in Instituto Hafniae servatas, icon et descriptio *Nectandrae foetidae* adest. Adeo, verbis Rolanderi, Rottbölli atque icone adjuvantibus, reor quid et quali hodie nomine nuncupata sit illa vetus *Nectandra*, quae pristina lecta et nuncupata tamen neglecta, obscura in codicibus adhuc mansit.

Imprimis cavenda est nuncupationis causa: iterum dicam verba Rolanderi: « folia, lignum, fructus [at non flores !] ... olidissima sunt ». Ex innumeris schedulis consultis, species *Nectandrae foetidae* vel graveolentes fere omnino desunt, *Nectandra myriantha* Meissn. ex Brasilia excepta, quae a diligenti Riedel saepe, sed non ab aliis, « canella fedorenta » vel « fetida », ab incolis nuncupata indicabatur. In opere optimo, infauste inchoato clari Pii Corrêa: Dicc. Pl. Uteis Brasil 1 : 438, sub « Canella capitão-mór » nonnullae observationes adsunt ex quibus hoc legitur: « Apesar do fortissimo cheiro de excremento [memento, quaeso, lapidem suillum in Rolanderi codice !], naturalmente muito incommodo...; da respectiva serragem obteve o Dr Peckolt um stearopteno branco, de aroma desagradavel, muito similhante ao do Skatol e muito persistente. »

Icon autem patefacit specimen foliis ellipticis, nervis secundariis praecipue 8-jugis, basi cuneata, ramulis plus minuve angulatis, inflorescentiis amplis, pedicellis longiusculis gracilibusque, patentibus, tubo perianthii fere nullo, laciniis ejusdem obtusis fere rotatis et antherarum locellis ad apicem positis; verba Rolanderi supra transcribentur; ea Rottbölli etiam inedita parum addunt, sed cum dicunt « flores a me non visi » certiolem me faciunt specimen *Nectandrae foetidae* mox et infauste amissum esse. Hanc ob causam, reor, Rottböll tantum *Nectandram sanguineam* et *Nectandram bijugam* produxit.

Hodie tamen, minime nominis permutationem postulans, quia *Nectandram foetidam* non solum ineditam, et ample hoc sufficit, sed etiam infidam manet, inter species hujus generis Surinam incolantes, quis praebet hos characteres quibus assimuletur eadem? Responsum haud otiosum censeo, ut infra reor, demonstrabitur.

Nectandra surinamensis Mez et *Nectandra kaburiensis* Kost. maxime congruunt quidem cum *Nectandra myriantha* omnium partium et praecipue florum forma; et vero ne hodie quidem scio utrum sicut species servandae sint, an modo sicut *Nectandrae myrianthae* varietates vel formae nuncupandae.

Nectandra surinamensis praesertim, foliis glabris « crasso coriaceis, rigidis, lucidis, lanceolatis acuminatis » (haec verba ex Rottböll teneo) propior mihi videtur ad *Nectandram foetidam* quam *N. kaburiensis*; de illa nulla notitia in schedulis et in descriptionibus porrigitur circa odorem bonum vel malum, tamen, inquam, specimenibus nimis paucis examinatis; cortex autem *Nectandrae kaburiensis* et flores hic illic describuntur odorati.

Ergo *Nectandram surinamensem*, a me certe haud satis cognitam, puto eandem esse quam *Nectandram foetidam* a Rolandero in codice descriptam. Opto denique *Nectandram surinamensem* materia et foliis foetidis praebitam esse nonnumquam, saepe aut semper, aliquando agnoscere.




FIG. 2. — *Nectandra sanguinea* Roland. ex Rottb.

a, e: Stamen externum; b: stamen tertii ordinis; c, g: pistillum; d: flos vix apertus; f: staminodium (a-c ex *Rolander s.n.*, S; d-g ex *Fanshawe 5399*, G).

An nimis quidem multis verbis hic oblatis mus misellus porrigitur verbi gratia, modo coniectura identitatis *Nectandrae surinamensis* cum *Nectandra foetida*? Esto, consentio! Tamen sic methodus et ratio opusculi hujus praebitur, id est ex operibus neglectis, veteribus pristinorum viatorum scriptorumque nonnullae species clariores, nonnullae supervacaneae, nonnullae ampliores fiunt! Igitur, *Nectandra foetida* omnino oblitterata, nunc ad speciem typicam *Nectandrae* adimus.

Rottböll in opusculo dicto, erroribus Rolanderi perstantibus, maximis et immanibus praecipue ubi dicitur « stamina: filamenta 36 brevissima, capillaria etc. » tamen genus divulgavit duabus speciebus: id est *Nectandra sanguinea*, eodem nomine a Rolandero adhibito (pag. 389 ejus codicis), et *Nectandra bijuga*, quam Rolander (pag. 390 codicis) prius *Nectandram arbortientem* nuncupaverat.

Confusa *Nectandra sanguinea* ab auctoribus sequentibus cito est cum specimenibus antillanis et Americae centralis, a Surinamo valde alienis.

Nimis producta atque supervacanea oratio fit, si vellim accurate historiam crebrorum errorum de hac specie nunc producere. Usque ad Mez, et etiam hodie, crebra specimenia distributa et nominata « *Nectandra sanguinea* » inveniuntur in multis herbariis, nullo modo conformia cum specimenne typico Rolanderi, in Herbario



FIG. 3. — Holotypus *Nectandrae sanguineae* Roland. ex Rottb. (SBT).

Bergiano, ut dixi, servato. Reor plerique auctores nunquam specimina infortunati Rolanderi perscrutarunt, at diligenter sed errate adfecerunt *Nectandrae sanguineae* nomini specimina alia.

Optimus Mez etiam, et magis mihi dolet, specimen isotypicum Rolanderanum ex Herbario Holmiae conspexit ne quidem agnovit! schedula ejus manus legi licet cum verbis: «*Nectandra salicifolia* Nees e.p. = *N. guianensis* Meissn.»; at infra conspicitur: «*Nectandra sanguinea* Rottb. Surinam Rolander» a manu antiquiore inscripta.

Clarus Kostermans¹ attamen valde ad identitatem hujus speciei appropinquavit, quia rogavit *Nectandram sanguineam* utrum confusam manere cum *Nectandra globosa* (apud eundem auctorem *Nectandra Pisi* Miq. nuncupata) an cum *Nectandra guianensi*.

Dominilla C. K. Allen² specimina copiosa mexicana et Americae centralis, nomine «*sanguinea*» affecta, in *Nectandram salicifoliam* (H. B. K.) Nees, parum notam ab ipso Neesio, transtulit.

Nunc denique quid sit *Nectandra sanguinea*, typo inspecto, dici licet, quamquam ex expositione nuper allata jam patefit: *Nectandra sanguinea* Roland. ex Rottb. usque hodie permiscetur cum *Nectandra guianensi* Meissn. Igitur:

Nectandra sanguinea Rol. ex Rottb., Pl. Surinam Rar. : 11. 1776 et ed. 2 : 10. 1798 [Typus generis] = *Nectandra guianensis* Meissn. in DC., Prodr. 15/1 : 160. 1864; in Martius, Fl. Brasil. 5/2 : 270. 1866; Mez, Jahrb. Bot. Gart. Berlin 5 : 433. 1889; Kostermans in Pulle, Fl. Surinam 2 : 291. 1936; Bernardi, Lauraceas : 208. 1962. (Synonyma ab optimo Mez allata minimi momenti et aliquantum nebulosa mihi videntur, qua re hic oblitteravi.)

Altera species, *Nectandra bijuga* Rottböll, specimine pulchello suffulta, descriptione apta quamquam neglecta adest: igitur validius armata quam *N. foetida* ad emendationem.

Rolander primus epitheto postea a Rottböll oblitterato «abortiens» nobis patefacit sexum speciei, a *Nectandra sanguinea* dissimilem, quia tantum in specimine suo flores masculos conspiciebat. Descriptio Rolanderi in codice ejus (pag. 390) omnino repetita est ab Rottböll qui, certe deceptus a forma florum, ausus non est 36 staminibus praeditam hanc speciem esse ut *Nectandram sanguineam* affirmare, sed exposuit: «Squamae Nectarii oblongae, lineares, truncatae; antherae bijugae, sive in duplici serie.» Icon in Instituto Hafniae nomine supervacaneo «*Nectandra dioica*» affecto denique stamina ritu *Ocoteae* ostendit, certissime ex specimine Rolanderi *Nectandrae abortientis* vel *bijugae*.

Rottböll editione secunda opusculi, igitur anno 1798, fortasse ab acerrimo Swartz monitus, *Nectandram bijugam* (1776) eandem quam *Ocoteam guianensem* Aubl. (1775) in notula retulit.

Ad idem genus utraeque certe pertinent, et ex lege ad *Ocoteam*; at valde dissimiles sunt! Ne specimine consulto quidem, tantum verba ejusdem Rottböll sufficiunt ad has ut species duas distinctissimas censendas. Et bene jam acerrimus Nees (Syst.

¹ Meded. bot. Mus. Utrecht 25 : 20. 1936.

² J. Arnold Arb. 26 : 387. 1945.



FIG. 4. — Holotypus *Ocoteae bijugae* (Rottb.) Bernardi (SBT).

Laur. : 315, adn. 3, 2^o) admonet synonymiam quam in Rottböll (1798) legimus fallacem esse; auctores plurimi tamen, atque ut principes Meissner, Mez, Kostermans memorabo, semper *Nectandram bijugam* in *Ocoteam guianensem* immittunt.

Nunc, specimine typico consulto, haec *Nectandra* in genere proprio cum epitheto valido ex lege nuncupanda est, plurimis cum synonymis:

Ocotea bijuga (Rottb.) Bernardi, **comb. nov.** = *Nectandra bijuga* Rottb., Pl. Surinam. Rar. 12. 1776 et ed. 2 : 10. 1798 (hic synon. excepto); Acta Litt. Univ. Hafn. 1 : 281. 1778 = *Nectandra abortiens* Rol. mss. ined. (p. 390. 1756) = *Laurus surinamensis* Sw., Fl. Ind. Occ. 2 : 708. 1800 = *Persea surinamensis* (Sw.) Spr. in L., Syst. Veg. ed. 16, 2 : 269. 1825 = *Nectandra Neesiana* Miq., Linnaea 18 : 745. 1848 = *Oreodaphne fallax* Miq., Nat. Verh. Holl. Mij. Wetensch. 7 : 203. 1851 = *Gymnobalanus Sprucei* Meissn. in DC., Prodr. 15/1 : 140. 1864 = *Oreodaphne florulenta* Meissn., l.c. : 125 = *Oreodaphne japurensis* Meissn., l.c. : 124 = *Ocotea fallax* (Miq.) Mez, Jahrb. Bot. Gart. Berlin 5 : 310. 1889 = *Ocotea florulenta* (Meissn.) Mez, l.c. : 309 (excl. speciminibus Sellowianis n^o 1361, 1381, Glaziou 17185 ?) = *Ocotea Neesiana* (Miq.) Kosterm., Mededeel. Bot. Mus. Utrecht 25 : 16. 1936 = *Ocotea sanariapensis* Lasser, Boll. Tecn. M. A. C. Caracas 3 : 12. 1942; Bernardi, Lauraceas : 161. 1962; C. K. Allen, Mem. New York Bot. Gard. 10 : 97. 1963.

TYPUS: *Rolander s.n.* (S, Herb. Bergianus).

OBS.: Species sat vasta, proxima mihi videtur ad *Ocoteam puberulam*. Affinitatem vel identitatem aut dissimilitatem cum *O. Hiliariana* Mez (cf. Kostermans, l.c. supra) reor in revisione generis laturum esse.

Nectandra purpurea (Ruiz et Pav.) Mez

Optimus C. Mez conspexit tria specimina ex Ruizio et Pavone et speciem hanc iterum descripsit praecipue ex specimine Herbarii Boissier, quod provenit ex Herbario Pavoniano, et modo floriferum est; tamen specimen hoc discrepat ab aliis, et certius tribuendum est *Nectandrae salicifoliae* (H. B. K.) Nees (etiam distributae sub nomine inani *Nectandrae sanguineae*). Specimen hoc fortasse ex « Nova Hispania » sive Mexico, id est ex speciminibus infortunatorum Sessé et Mociño, denique a claro sed parum diligenti Pavon distributum est cum schedula fallaci « *Laurus purpurea* del Peru Pavon Laurographia ».

Intentior conspexerat specimina dicta clarus Meissner quam optimus Mez, quia basilensis auctor in specimine Herbarii Boissier schedulam chirographam nobis reliquit, etiam nunc rationem suam de eodem specimine et de conceptu veteris *Lauri purpurei* patefacens, his verbis hic iteratis: « *Laurus purpurea* « Pavon » in Hb. Boiss. (nec in H. Ber. quae = *N. polita*... !) sub *Nect. sanguinea* ubi plures sp. mixtae. Vix non *Nect. sanguinea* Hb. Ber. (sp. Sieber et Schiede, Antill. et Mex.) var. retic. et flor. paullo recedens. *Nectandra sanguinea* N. nob. Prodr. ! sed a reliq. specim. flor. majorib. etc. valde recedens et verisim. sp. propriam sistens. »

Meissnero consentio pro ut specimine Pavoniano Herbarii Boissier, ita ut dixi, et quoniam *Nectandra salicifolia* (= *Nectandra sanguinea* sensu Meissn. et al.) nunc constat crebris collectionibus species quidem immanis, puto, cum genus revisam, accuratius diutiusque conspiciendam esse.

Ad initium, id est ad *Laurum purpuream* nunc redeo, quid sit conceptus iste inquirens, utrum commixtio delenda, an species valida?

Descriptio diligens, univoca, quidem admiranda, icone vero non sublimi attamen manu honesta delineata, folia, fructus, postremo omnes characteres praebente praedita offertur, nota etiam auctoribus veteribus; locus natalis illic indicitur: « In Peruviae Andium nemoribus prope Cuchero », fere igitur eisdem verbis inscriptis in schedula speciminis Herbarii berolinensis: « In Andium nemoribus ad Cuchero et Chinchao..., Ruiz 1. »; notula in calce descriptionis etiam adjuvat: « Plurimi Flores in hac specie monstrosi evadunt », quia tertium specimen ex Herbario Delessert (G) illos dictos monstrosos flores ostentat, tamen absque dubio ex eadem specie (an ex eadem arbore?) quam berolinense.

Mihi ergo *Laurus purpurea* species valida patefit, specimine holotypico herbarii berolinensis addicto, quamquam floribus destituto (isotypico: Genavae). Ex conspectu speciminis typici, iconis, et descriptione consulta, certissimus fio *Laurum purpuream* eandem esse quam *Ocoteam latifoliam* H. B. K. (= *Nectandram latifoliam* (H. B. K.) Mez). Species a Kunth descripta est ex specimine tantum fructifero, breviter et sat ambigue, icone destituta; atque, hoc maxime oportet, posterius.

Notula Meziana, in calce *Nectandrae purpureae* (Mez 1889 : 443) « Species a cl. Meissner cum *N. latifolia* confusa evidenter floribus majoribus filamentis et antheris differt » omnino negligenda, ut nuper dicitur.

Species haec vasta distributione, descripta iterum est a claro Neesio, nomine *Nectandrae politae*, valde accurate, omnibus partibus cum descriptione *Lauri purpureae* satis congruentibus. Quoad *Ocoteam flexuosam* Rusby attinet, icon hic oblata melius quam verba proluxa patefacit certe ad *Nectandrae* genus pertinere staminibus exterioribus locellis solemniter arcuatis. De ovario (melius si dixisset de pistillo) Rusby sat inaccurate scripsit: « Ovary very rudimentary », at floribus typicis inspectis pistillum bene evolutum conspexi, ovario fertile praeditum. Rusby etiam adseveravit: « Staminodia very small, acute » sed pro ut *Lauracearum* specie staminodia glabra, ad apicem parum clavata, 1 mm longa ne parvissima quidem licet adumbrari.

Ergo mihi videtur, et reor recte, *Nectandra purpurea* valida, prior, salutanda, descriptio Meziana emendanda, potius, descriptione veterum Ruiz et Pavon, holotypo nuper indicto, synonymis hic suppletis:

Nectandra purpurea (Ruiz et Pav.) Mez, Jahrb. Bot. Gart. Berlin 5 : 443. 1889 (excepto specimine Pavoniano Hb. Boissier) = *Laurus purpurea* Ruiz et Pav., Fl. Peruv. 4: tab. 351. 1802; Lopez, An. Inst. Bot. A. J. Cavan. 13: 17. icon. 351. 1955; Meissn. in DC., Prodr. 15/1 : 164. 1864; et in Martius, Fl. Brasil. 5/2 : 275. 1866; = *Ocotea latifolia* H. B. K., Nova Gen. Sp. 2 : 165. 1817; Kunth, Synopsis 1 : 456. 1822 = *Persea latifolia* (H. B. K.) Spr. in L., Syst. Veg. ed. 16, 2 : 270. 1825 = *Nectandra polita* Nees, Syst. Laur. : 325. 1836; Meissn., l.c. : 163. 1864 et l.c. : 275. 1866 = *Oreodaphne dispersa* var. *grandifolia*




FIG. 5. — *Nectandra purpurea* (Ruiz et Pav.) Mez

a: flos vix apertus; **b**: flos patens; **c**: stamen externum, locellis solemniter arcuatis et superis;
d: stamen tertii ordinis; **e**: staminodium; **f**: pistillum.; **g**: conspectus inflorescentiae
 (ex *H. H. Smith 1764, G*).

Meissn., l.c. : 164. 1964 et l.c. : 275. 1866 = *Nectandra latifolia* (H. B. K.) Mez, l.c. : 454. 1889; Macbride, Fl. Peru : 921. 1938; Allen, J. Arnold Arb. 26 : 392. 1945 et Ann. Missouri Bot. Gard. 35 : 53, fig. 33. 1948 = *Ocotea flexuosa* Rusby, Descr. S. Amer. Pl. : 21. 1920.

De nonnullis confusionibus circa Laurum punctatam Ruiz et Pav.

Haec *Laurus* descripta distributaque nonnullis speciminibus tantum fructiferis, icone edita anno 1802, clarior fit verbis in descriptione oblatis, ob patriam praecipue, quae illic legitur: « In nemoribus Andium provinciae Tarmae ad Vitoc arcem ». Ad eandem adscribi possunt absque dubio specimina nonnulla, coram me, ex herbariis FI-Webb, G et G-Boiss., quia inter crebra specimina fere omnium specierum *Nectandrae* illa ostentant ramulos parum sulcatos, teretes et reticulum subtile valde peculiare; aliud specimen herbarii Berolini tamen, quamquam eodem epitheto affixo manu Ruizii, qui teste schedula illud legit « In Muña nemoribus 1784 », omnino a reliquis discrepat ramulis, foliis et cupulis, floribus etiam destitutum. Istud specimen characteribus plurimis fretus reor ad *Laurum furcatam* eorumdem auctorum, vix foliis latioribus notandum, pertinere.

Laurus punctata ergo manet adnata cum speciminibus nuper dictis. J. F. Klotzsch tamen infauste (cf. Linnaea 21 : 509. 1848) *Laurum punctatam* asseverat specimen ex Ruizio in Hb. Berolini, et *Nectandram punctatam* illud nuncupat; alia specimina, et mihi liceat rursus affirmare tantum digna epitheto « *punctatae* », praetermittit.

Meissner (in DC., Prodr. 15/1 : 141. 1864) vocat *Gymnobalanus? punctatam* quod Klotzsch nuncupaverat *Laurum punctatam*; tamen varietatem « *elongatam* » simul producit pro ut specimine: « Circa Vitoc, Pavon n° 20 Hb. Boissier ».

Mez denique (l.c. : 463) inter species *Nectandrae* incertae sedis omnia specimina nuper dicta sub nomine *Nectandrae punctatae* producit. Ergo *Nectandrae punctatae* (excepto specimine berolinensi) auctor Carolus Mez nec Klotzsch quidem est.

Species haec attamen satis obscura maneret ob inopiam speciminum, nisi ad eandem non pertineret procul dubio *Nectandra japurensis* Nees ex Brasilia, quamquam ut videtur tantum floriferis speciminibus neque fructiferis usque hodie insignita. Producam denique hujus speciei statum:

Nectandra punctata (Ruiz et Pav.) Klotzsch, Linnaea 21 : 509. 1848, emend. Mez, Jahrb. Bot. Gart. Berlin 5 : 463. 1889 (excepto specimine Ruiziano Hb. Berol.) = *Laurus punctata* Ruiz et Pav., Fl. Peruv. 4: tab. 347. 1802; Laurogr. Peruv.: tab. 20. 1802; Lopez, An. Inst. Bot. Cavanilles 13 : 13. 1955 = *Gymnobalanus? punctata* var. *elongata* Meissn. in DC., Prodr. 15/1 : 141. 1864 = *Nectandra japurensis* Nees, Syst. Laur. : 335. 1836; Meissn., l.c. : 163 p.p. (excl. Fendler 1022); Mez, l.c. : 440.

TYPUS: *Pavon 20* (holotypus G-Boiss., isotypus FI-Webb).




FIG. 6. — *Nectandra punctata* (Ruiz et Pav.) Klotzsch emend. Mez

a: conspectus floris; **b:** stamen primi ordinis; **c:** stamen alterius ordinis. **d:** stamen tertii ordinis, intus observatum, cum staminodiis; **e:** stamen tertii ordinis, ab externo observatum, cum glandulis; **f:** pistillum. (ex Martius 157, M, antea *Nectandra japurensis* Nees).

De atrioribus confusionibus circa Laurum longifoliam Ruiz et Pav.

Species haec adest praecipue ob iconem veterem, qua sola paucae dubitationes quidem de ejus conceptu manerent; specimina distributa magnopere succurrunt tamen si diligenter comparabuntur cum icone; denique descriptio, modo anno 1955 edita, si dubitationes ad huc obstruxissent, omnino lucem clarissimam porrigeret! Icon nobis praebet enim folia basi plana, flores fere sessiles, fructus (immaturos) globosos, per paniculas amplas digestos, ramulos superne profunde sulcatos, calicem et corollam aequantes, obtusos.

Descriptionem attamen Neesianam si leges (Linnaea 21 : 502. 1848) speciem valde dissimilem tibi offendet verbis istis: « Foliis ovali-oblongis acuminatis basi acuta in petiolum decurrentibus... » Mez, quem semper optimum teneo, ut supra dixi, Nees infauste hic sequens, addit (l.c. : 424): « pedicellis 3-6 mm longis », nimis quidem productis pro ut *Lauro longifolia* quam Ruiz & Pavon instituerunt.

Error igitur a lynceo Nees inceptus ex confusione speciminum ortus est, quia in Herbario Berolini, sub eodem epitheto « *longifolia* Ruiz et Pavon », duo specimina servantur ab uno vel altero hispanorum tam inscripta. Infauste Nees pro ut sua *Nectandra longifolia* elegit specimen illud toto caelo abhorrens ab icone, igitur a conceptu Ruizii et Pavonis; alterum specimen, id est verum et typicum, *Lauri longifoliae* ab Neesio ut varietatem? β salutabatur his verbis: « foliis basi obtusis neque



FIG. 7. — *Nectandra longifolia* (Ruiz et Pav.) Nees

a: conspectus floris vix aperti; **b**: flos patens, glandulis staminum primi et alterius ordinis propioribus; **c**: ut b, perianthio avulso; **d**: ut c, staminibus exterioribus avulsis; **e**: exemplum variationis staminum exteriorum; **f**: stamen tertii ordinis, glandulis vero haud proximis; **g**: staminodium; **h**: pistillum. (ex Mathews 1431, K).

in petiolum decurrentibus... » lynceo oculo — inquam — clare Nees specimen vidisti, sed iconem — cur? — neglegisti.

Meissner in errorem Neesianum perseveravit, recte ut systematicus varietatem? β ut speciem distinctam *Nectandram crassipedem* suscepit, sed sic agens nomenclaturam *Lauri longifoliae* in noctem perspissam impulit. Mez, saepe specierum Meissneri in synonymiam expeditor, hanc servavit floribus carens, in systema suo proximam immisit ad *Nectandram longifoliam* (Ruiz et Pav.) Nees.

Nunc quid sit *Nectandra longifolia* apud Nees dici licet: specimine ex Herbario Berolini longius consulto, oculo armato characteribus permultis comparatis, inter quos egregios teneo formam staminum, cum *Nectandra lineatifolia* (Ruiz et Pav.) Mez omnino congruit, nullo modo ne ut forma minuscula quidem ab illa discernenda est.

Ad descriptionem utriusque Hispani nunc adimus; inter alias quae *Lauris* sunt, hanc reor optimam. Ruiz et Pavon, audeo hic adicere, optimi ut descriptores




FIG. 8. — *Nectandra longifolia* (Ruiz et Pav.) Nees

a: flos vix apertus; **b**: floris pars intus, cum staminibus primi et alterius ordinis et glandulis proximis; **c**: stamen externum cum glandulis contiguus; **d**: stamen tertii ordinis glandulis haud praeditum; **e**: staminodium; **f**: pistillum. (ex Macbride 4228, G).

suarum specierum sunt, observationes validissimas acerrimasque offerunt; posterius cum specimina distribuerunt, praecipue Pavon, annis gravati, adversitatibus offensi, certe (et humanum est) errores sive determinationis, sive ob lapsus calami, sive ob patriam speciminis commiserunt. Ad icones tamen, ad Floram peruvianam, ad opuscula eorumdem si revertes solum fidum, petreum, non uliginosum quidem pes tuus calcabit !

Laurus longifolia ab utroque dicitur... « Filamenta [= stamina] novem, brevissima, latiuscula; sex exteriora glandulis sex per paria molariformibus ad basim postice utrinque adnatis... ». Ut videtur, specimen floridum ab utroque auctore examinatum infauste amissum est, quia nec Nees, nec Meissner, nec Mez flores conspexerunt; nuper Macbride (Flora of Peru : 922. 1936) adumbrans *Nectandram longifoliam* quae ut ab eodem illic describitur (« blades coriaceous, densely sericeous beneath even in age, with a pale yellow pubescence, broadly elliptic-lanceolate, acuminate, rounded or subacute at the base... ») minime *Nectandra longifolia* sensu Nees, sed *Laurus longifolia* Ruiz et Pav. est, specimina matritensia etiam floribus destituta indicat. Flores tamen a Macbride indicati certe a descriptione Meziana proveniunt, anglice translata, nec ab ejus observatione.

Species rarissimis speciminibus pauperatis fundatae, ne postea quidem supplemento speciminum auctae, ut videtur satis frequentes adsunt; tamen species veteres oblivione neglectae igitur fere deletae saepius, reor, occurrunt, quia descriptionem novam quamquam fallacem producere facilius est quam libros, icones, specimina pristina oculo lynceo, Jobi patientia, violae modestia perscrutare. Id cogito pro ut *Lauro longifolia* factum est, quia ad eandem species postea descriptae adscribi possunt: una *Nectandra Mathewsii* Meissn., altera *Nectandra Macbridei* O. C. Schmidt, utraque peruviana, speciminibus floriferis.

Floribus investigatis laetus glandulas, quae, norma frequentissima in genere *Nectandrae*, ad basim staminum tertii ordinis adnatae conspiciuntur, hic contra fere alternas cum staminibus primi et alteri ordinis observavi. Ruiz et Pavon igitur formam peculiarim suae *Lauri longifoliae* perspicue illustraverant !

Addendum tamen oportet aliquid ad *Nectandram Mathewsii*, quia hic confusio sat spissa etiam patefit. Specimina nonnulla mihi adsunt sic a optimo Mez determinata, cum eodem numero a claro Meissner citato: *Mathews 1431*. At tantum specimen Kewense cum descriptione Meissnerana convenit, praecipue ubi auctor basilensis dicit: « Calyx subsessilis. » Alia specimina omnino cum Kewense discrepant, ideo ne *Lauro longifoliae* quidem pertinent, sed *Nectandrae membranaceae* (Sw.) Griseb., species vastissima quam infra adumbrabo, synonymia producta praeditam. Quamquam Mez in sua *Nectandra Mathewsii* (l.c. : 448) toto caelo a specie Meissneriana abhorrente specimen Kewense memorat, tamquam hoc nullam notulam Mezianam pro ut determinatione fert; et contra specimina ex Herbariis LE, GOET et G chirographum Mezianum ostentant.

Denique hic pono nomen tribuendum *Lauro longifoliae*, quod articuli nomenclaturae gratia n° 55 servabitur, errore Neesiano etiam considerato.

Nectandra longifolia (Ruiz et Pav.) Nees, Linnaea 21 : 502. 1848, quoad « *Laurus longifolia* Fl. Peruv. ed. Ruiz, in Peruviae Andium nemoribus » (nec aliud) = *Laurus longifolia* Ruiz et Pavon, Fl. Peruv. 4: tab. 370. 1802; Laurogr. Peruv.:

tab. 24 (13?) 1802; Lopez, An. Inst. Bot. Cavanilles 13 : 37. 1955 = *Nectandra crassipes* Meissn. in DC., Prodr. 15/1 : 150. 1864; et in Martius, Fl. Brasil. 5/2 : 255. 1866; Mez, Jahrb. Bot. Gard. Berlin 5 : 423. 1889 = *Nectandra Mathewsii* Meissn., l.c. : 159. 1864 et l.c. : 269. 1866 (nec aliis) = *Nectandra Macbridei* O. C. Schmidt, Publ. Field Mus. Nat. Hist. Chicago (Bot.) 8 : 81. 1930; Macbride, Fl. Peru 922. 1938.

